Jahresbericht

über das

k. k. akademische Gymnasium in Wien

während des Schuljahres 1855—56,

mit welchem zu der

öffentlichen Prüfung und Schlußfeier

am 30. und 31. Juli und 1. August

alle Vorgesetzten, Gönner und Freunde der Anstalt

ergebenst einladet im Namen des Lehrkörpers

der Direktor

Dr. Aloys Capellmann.

Voran gehen von demselben zwei Abhandlungen:

I. Ueberzeugung und Einsicht

in ihrem Unterschiede bei wissenschaftlicher Beweisführung;

II. Schedae Homericae.

Wien.

Druck von Carl Gerold's Sohn.

II.

Schedae Homericae.

---

§. 1.

Ante hos sex annos, quinquagesimo huius seculi anno, in libello Confluentini Gymnasii annalibus publice editis praeposito, cui nomen idem, quod istis plagulis, inscriptum est, pag. 14 ss. §. 3. Homeri aliquem locum recte conatus sum interpretari, scilicet Odyss. lib. I. v. 292, *καὶ ἀνέρι μητέρα δοῦναι*, atque argumentis mihi videor satis idoneis demonstrasse, haec verba non dicta esse de secundis Penelopae nuptiis, hoc sensu, „*et viro matrem tradere in matrimonium*", sed de inferiis a matre Telemachi, a Penelope, Ulixi marito faciendis, ac deleto interpungendi signo, quod poni solitum est post vocem *ἔοικε*, ita coniungenda cum praecedentibus verbis, *καὶ ἐπὶ κτέρεα κτερεῖξαι πολλὰ μάλ', ὅσσα ἔοικε καὶ ἀνέρι μητέρα δοῦναι*, *quantum honorum funebrium etiam decet* matrem *tuam viro* sive *coniugi suo tribuere.*

Ad comprobandam hanc novam de isto loco opinionem contra interpretes omnes alios hucusque consentientes haec attuli argumenta. Primum dixi non filium decere, *matrem alii viro in matrimonium dare,* neque a Telemacho affectari hanc potestatem, sed reprehendi quodammodo procos, quod non patrem Icarium adeant, ut hic filiam cui velit in matrimonium adiungat (Od. l. II. v. 52 ss.); petere autem procos a filio (v. 113 et 128), ut matrem dimittat ac nubere iubeat, cui pater, non cui filius, velit et qui ipsi matri, non filio placeat, exprobrantes nempe, non filium, sed matrem sibi omnibus spem facere inanem (v. 91 ss.). Petentibus procis Telemachus id clara voce respondit fieri non posse, ut matrem domo dimittat *invitam* (v. 130 ss.); ac deinde Eurymacho idem illud poscenti (v. 194), ut matrem filius dimittat in patris domum ibique a parentibus nuptiae concilientur, filius respondit hanc matris nuptiarum sollicitudinem totam se ad deorum curam referre. Jam ipsa Minerva suaserat, ut Penelope, si nubere cuperet, in patris domum reverteret ibique pararentur nuptiae, ita ut in eiusdem oratione Minervae ullum filii de matre arbitrium statui non liceat (I. v. 275 ss.). Liberum contra aliquomodo matris ipsius arbitrium et a filio et a procis matri concessum ex plurimis locis plane apparet (lib. I. v. 249, XVI. v. 33. 73 ss., 125 ss., XVIII. v. 269 s.), neque contrarium est, quod Penelope dicit (lib. XIX. v. 530 ss.), „antea per iuvenilem filii sui aetatem nubere ac domum relinquere sibi non licuisse, nunc vero ab adulto iam filio se *precibus* fatigari, ut redeat in patris domum, ne a procis omnia perdantur", sed confirmatur etiam his verbis liberum ipsius matris de suis nuptiis arbitrium. Parentes quidem reginae, non filius, nuptias suadent, filius indignatur tantummodo, quod proci divitias perdant, et mater filium dicit iam satis aetate provectum esse, ut par sit rei familiari administrandae; de suasis a filio nuptiis nulla fit mentio (lib. XIX. v. 158 ss.). Quod denique lib. XX. v. 341. Telemachus dicit, „*ἀλλὰ κελεύω γήμασθ', ᾧ κ' ἐθέλῃ*", eum non *iubere*, neque *ἀνέρι μητέρα δοῦναι*, sed modeste suadere his vocibus, id satis declarant, quae sequuntur v. 343, *αἰδέομαι δ' ἀέκουσαν*

ἀπὸ μεγάροιο δίεσθαι μύθῳ ἀναγκαίῳ. Telemachi haec verba v. 340—344 de patre ficta quidem sunt, quippe scientis iam adesse patrem, sed de nuptiis addita verba necesse est existimemus apta esse ad eam quae vere est inter matrem et filium conditio.

Haec potissimum, additis quae addenda videbantur, fere rescripsi ex confluentino illo libello, quippe quem iam in oblivione iacentem existimari non liceat eos ad manum habere, qui lecturi recentem hanc scriptionem putandi sunt. Criticorum plures commemoraverunt suo loco hanc meam ista verba (I. v. 292) interpretandi rationem, nemo refutavit; nam in Jahnii novis annalibus philologicis et paedagogicis *) Grimmensis ille clarissimus atque doctissimus vir, Dietschius, non certa opposuit argumenta, verum dubitat modo, quoniam non intelligat, qui fieri possit, ut filius tribuat patri honores, quos mater debeat marito, et quoniam alius Odysseae locus, II. v. 223, qui certe videtur contrarius esse, et mscr. codicum et scholiorum auctoritate firmatus sit.

Equidem si antea, ut loquar cum Cicerone, qui in iudicio defensurus Milonem dicit se non quidem timere, sed ne non timere quidem posse sine aliquo timore, si antea igitur ego non quidem dubitavi, verumtamen id non sine omni dubitatione, nunc fateor omnem de illa interpretatione meam ipsius dubitationem, quantulacunque fuit, iterum iterumque perspectis comparatisque omnibus illis locis prorsus me abiecisse et plane mihi persuasum habere, istis verbis, de quibus quaeritur, *καὶ ἀνέρι μητέρα δοῦναι,* secundas Penelopae nuptias commemoratas esse minime posse. Quod ut plane perspicuum fiat, Minervae totam orationem (I. v. 253 — 305) accuratumque huius orationis ordinem respicias precor.

Postquam de absenti Ulixe ac de conditione, quae sibi (Mentae) suoque patri fuerit cum Ulixe, satis exposuit, inde a v. 269 iam transit ad consilium de dimittendis vel eiiciendis procis capiendum atque hortatur Telemachum, ut crastino die convocata concione procos domum suam discedere iubeat, quod quidem isti sua sponte minime facturi sunt. Quae deinde sequuntur, in duas quodammodo partes divisa sunt, quarum altera, quid matri fiat, v. 275—278, altera quid filio ipsi faciendum sit, v. 279—297 declarat. Mater, non *invita*, id quod pluribus locis confirmatur (cf. II. v. 130, XVI. v. 73, XX. v. 343), sed sponte redeat in patris domum, *εἴ οἱ θυμὸς ἐφορμᾶται γαμέεσθαι*, ibique parentur nuptiae atque *ἔεδνα, πολλὰ μαλ', ὅσσα ἔοικε φίλης ἐπὶ παιδὸς ἕπεσθαι.* Id matri faciendum suadet Minerva. Haec de secundis Penelopae nuptiis dicta certe sufficient, neque amplius quidquam de iisdem in oratione Minervae poterit exspectari; atque, hanc rem sua oratione absolutam esse ipsa declarat Minerva, quum pergit ad filium v. 279 accurata voce, *σοὶ δ' αὐτῷ πυκινῶς ὑποθήσομαι, αἴ κε πίθηαι*, ita ut ad suum consilium de suscipiendo itinere, de patre quaerendo, de inferiis mortuo patri faciendis, minime addere possit levissimam istam de matre viro alicui tradenda commemorationem, *καὶ ἀνέρι μητέρα δοῦναι*, qnae non modo ipsa et filio et matre indigna, sed prorsus inepta est. Ista nuptiarum commemoratio foret inepta, quia contraria esset libero matris ipsius arbitrio et omnibus locis de conditione, quae fuit inter matrem filiumque, allatis; inepta foret, quia tam nude posita minime in suum locum quadraret; inepta foret, quoniam, quae sequuntur, intelligi minime possent. Si enim vere Minerva iussisset filium, ut patre mortuo matrem alii viro traderet in matrimonium, cur opus esset, ut post omnia illa peracta (I. v. 293 ss.), itaque post matrem alii viro iam in matrimonium adiunctam, procos demum interficere studeret? Si novae scilicet nuptiae cum uno ex procis coniunctae essent, necesse est eo tempore aut iam interfectos fuisse ceteros procos, aut iam non opus fuisse, ut interficerentur. Inepta denique foret illa nuptiarum commemoratio mira sua brevitate, quam brevitatem, si Telemachus (l. II. v. 223) coram procis eadem uteretur, magis etiam liceret mirari: si enim Telemachus id procis promissurus fuisset, matrem se viro alicui traditurum esse in matrimonium, id profecto non fecisset brevissimis verbis; deinde si procis illud a Telemacho promissum esset, certe contenti ac laeti exspectatum hunc nuncium accepissent; verum neque Telemachi, neque Mentoris

*) Neue Jahrbb. für Philol. u. Pädagog. v. M. Joh. Chr. Jahn rc., 1851, Bd. 62, H. 1, S. 194—197.

oratio, quae sequitur v. 229, minime excepta est procorum assensu, quorum nomine vide quae Leiocritus iracunde respondet l. II. v. 243 ss.; de promissis a Telemacho matris Penelopae nuptiis post illam orationem in Ithacesiorum concione habitam neque a procis neque ab alio quoquam ulla voce fit mentio, quae certe fieret, si vere Telemachus procis dixisset (lib. II. v. 223), *καὶ ἀνέρι μητέρα δώσω.* Mirari etiam liceret, quod filius nihil dixisset matri de novo matrimonio a se procis promisso. Sed filius matris matrimonium procis minime promisit, non dixit „*καὶ ἀνέρι μητέρα δώσω*". Id aeque filium dedeceret, aeque indignum foret et matre et filio, aeque foret ineptum, atque mira illa sententia, quam interpretes Minervae vocibus *καὶ ἀνέρι μητέρα δοῦναι* (I. v. 292) primis iam temporibus subiecerunt. Quum vero isti haec verba Minervae falso interpretati essent, necesse fuit eosdem opinari, Telemachum in illa concione l. II. v. 223 non dixisse, sicut Minervam, *καὶ ἀνέρι μητέρα δοῦναι,* sed suo nomine, *καὶ ἀνέρι μητέρα δώσω.* Sed cum falsa illa Minervae verborum interpretatione reiicienda est etiam, quae inde nata est, ista Telemachi enunciatio „*καὶ ἀνέρι μητέρα δώσω*", atque restituendum poetae sincerum vocabulum *δοῦναι,* ita ut, quod fieri solitum est, hanc Minervae orationis partem a Telemacho suo quidem nomine ad verbum repetitam videamus et finitam his vocibus: *ὅσσα καὶ ἀνέρι μητέρα δοῦναι, quantum etiam decet matrem meam coniugi suo tribuere.* Apte vero id fieri posse a filio matris nomine, non est quod dubitemus, non modo propter domesticas quae tunc temporis erant Penelopae conditiones, verum etiam propter adultam iam filii aetatem curamque domesticarum rerum ab eo susceptam; cfr. lib. XIX. v. 530 ss. *παῖς δ' ἐμός — — δὴ μέγας ἐστὶ καὶ ἥβης μέτρον ἱκάνει — — κτήσιος ἀσχαλόων, τὴν οἱ κατέδουσιν Ἀχαιοί.* Ceterum qui honores funebres mortuis debentur, ii non a singulis, verum a cunctis debentur propinquis; eo magis igitur pro Penelope matre domesticis conditonibus aliquomodo impedita, Telemachum tamquam caput regiae familiae, — *τοῦ γὰρ κράτος ἔστ' ἐνὶ οἴκῳ,* l. XXI. v. 353 — et suo et matris nomine decet patri sive coniugi debitos tribuere honores, id quod apte significatum videtur vocabulo *καί — ὅσσα ἔοικε καὶ ἀνέρι μητέρα δοῦναι,* nec vero eum decet imperare matri eamque invitam alicui viro in matrimonium adiungere.

Cum nostro loco conferre licebit, quae in Aeschyli Choephoris v. 85 ss. dicit Electra:

τύμβῳ χέουσα τάςδε κηδείους χοάς,
πῶς εὔφρον' εἴπω; πῶς κατεύξωμαι πατρί,
πότερα λέγουσα παρὰ φίλης φίλῳ φέρειν
γυναικὸς ἀνδρί, τῆς ἐμῆς μητρὸς πάρα;

Haec prorsus inepte ab Electra dicerentur, si non deceret liberos matris nomine, *παρὰ μητρός*, viro mortuo debitos funebres tribuere honores.

Satis igitur huius loci nova haec interpretatio firmata videtur, neque in ipsis vocabulis ullum est impedimentum, quo minus eam probemus, non in voce *ἀνήρ,* quippe saepius ab Homero posita pro *marito,* neque in verbo *δοῦναι,* quod quidem cum voce *κτέρεα* non proprie coniungitur, apte tamen post verbum proprium *κτέρεα κτερεῖξαι* cum pronomine *ὅσσα* potest adiungi, ut fieri solitum est cum similibus rebus, velut lib. XIX. 366. s. *πίονα μηρί' ἔκη, οὐδ' ἐξαίτους ἑκατόμβας, ὅσσα σὺ τῷ ἐδίδως*, et lib. I. v. 313. *οἷα* (*κειμήλια*) *φίλοι ξεῖνοι ξείνοισι δίδουσιν,* quumque verbum *λαγχάνειν* cum voce nostra *κτέρεα* coniunctum habeamus ab ipso Homero, e. g. Od. V. v. 311. *τῷ κ' ἔλαχον κτερέων,* apte etiam diceretur *κτέρεα δοῦναι.*

§. 2.

Νήδυμος ὕπνος — οὖλος Ὄνειρος, Iliad. II. v. 2 et 8. De voce *νήδυμος* a viris doctis diversa sunt in medium prolata: doctissime quidem de eius origine ac notione disputavit Buttmannus in lexilogo §. 46, verum dubito, an verissime. Ortam esse hanc vocem dicit Buttmannus ab adiectivo somni proprio *ἡδύς*, ita ut *νήδυμος ὕπνος* et *ἡδὺς ὕπνος* fere sit idem, scilicet *suavis;* literam *ν* suspicatur initio additam esse ex neglecto digammate vocis *ἡδύς.* Aristarchus,

Homeri locupletissimus ille interpres, compositam esse dicit hanc vocem atque alteram eius partem esse syllabam **νη**, alteram ex verbo **δύω-δύνω** deductam, ita ut **νήδυμος** positum sit pro **ἀνέκδυτος**. Aristarchum plurimi recentiorum interpretum secuti sunt, inter quos vide contra Buttmanni sententiam satis copiose disputantem e. g. Passovium in lexico suo, qui plane quidem docuit, in Iliad. lib. X. v. 187 apte de custodibus dici. **ὣς τῶν νήδυμος ὕπνος ἀπὸ βλεφάροιϊν ὀλώλει**, merito etiam negavit formam **νήδυμος** oriri potuisse a forma nativa **ἡδύς**, nec vero rem certis argumentis in discrimen adduxit. Buttmannus dicit, si vox nostra orta sit a verbo **δύνω**, praemissa negante syllaba **νη**, idem fere ea significari atque voce **νήγρετος**, scilicet somnum gravissimum, qui tam arcte homines complexus teneat, ut expergefieri vix possint; eandem vero notionem duabus his vocibus inesse non posse, quoniam uno loco, Od. l. XIII. v. 79 s., coniunctae reperiantur. Sed in Scyllam incidit Buttmannus, quum vitare voluerit Charybdim; nam eodem illo loco **ὕπνος** non solum dicitur **νήδυμος** et **νήγρετος**, sed etiam **ἥδιστος**, quod certe fieri non posset, si **νήδυμος** ortum esset a voce **ἡδύς** atque notio istorum vocabulorum fere eadem esset. Verum plane seiunctae sunt horum adiectivorum notiones: **ὕπνος** enim is dicitur **νήδυμος** (**νη-δύνω**), qui tam gravis est, ut *non sponte quasi ex eo emergamur;* multo etiam gravior est **ὕπνος νήγρετος** (**νη-ἐγείρω**), quippe *ex quo ne ab aliis quidem excitemur.* Hanc ob rem aptissime in Iliade l. II. v. 2. ceteri quidem dii dicuntur **εὕδειν παννύχιοι**, Jupiter vero non teneri **νηδύμῳ ὕπνῳ**, sed inter somnum **κατὰ φρένα μερμηρίζειν**, scilicet sponte saepissime expergiscens vel vix dormiens et in somniis occupatus (v. 6), in Odyssea autem, l. XIII. v. 79, singulis vocibus ad maiorem somni gravitatem ac firmitatem significandam proceditur: primum enim dicitur **νήδυμος**, deinde **νήγρετος**, tum **ἥδιστος**, summa enim vis inest in suavitate, postremo dicitur **θανάτῳ ἄγχιστα ἐοικώς**. Itaque de simili origine vocum **νήδυμος** et **νήγρετος** iam vix et ne vix quidem videtur posse dubitari, atque quum similis earum origo sit, etiam notio eius vocis, de qua quaeritur, iam est aperta. In forma denique huius adiectivi non est, quod offendamus; comparari potest e. g. nomen **Δίδυμος**, cuius origo (**δύω-δύνω**) certe videtur eadem esse.

Somnium commemoravimus, **Ὄνειρον**, quem Jupiter appellat, **οὖλε Ὄνειρε**, lib. II. v. 8 Quaeritur etiam de origine ac notione vocis **οὖλος**, quam vocem recte grammatici, quorum praecipue unum nominasse sufficiet Buttmannum in eodem lexilogo §. 47 copiosissime hac de re disputantem, ad varias retulerunt origines cum variis notionibus, inter quas quidem satis certae sunt forma et vis adiectivi **ὅλος**, deinde altera adiectivi **ὀλοός**, quae deducta est a verbo **ὀλεῖν-ὄλλυμι**. Utro igitur nomine vel utra huius nominis notione *appellandus* erit **Ὄνειρος**? Plerique interpretum recte quidem censuerunt **Ὄνειρον** appellatum esse **οὖλον** cum *nocendi, perdendi* notione, sed nemo eorum, quantum equidem scio, iustam attulit causam, cur altera eiusdem vocis notio hoc loco statui non possit, itaque prior illa quippe admodum apta statui debeat. Cogita igitur, utrum **Ὄνειρος** apte a Jove appellari possit, **ὅλε** (ep. **οὖλε**) **Ὄνειρε**, id est, **Ὄνειρε**, *qui non umbra es neque imago somnii, sed ipse somniorum auctor, totus et perfecto corpore praeditus atque conspicuus.* Si vere inter deos talis est somniorum auctor, corporis figura praeditus divina, iste hac re ipsa a nullo deorum differre videtur, habet enim, sicut reliqui, veram suam corporis figuram. Qui igitur hunc prae ceteris Jupiter *appellare* possit, **ὅλε Ὄνειρε**, scilicet, *qui esse non videris tantummodo, sed verus es deus veraque tua praeditus figura?* Minime opus est, ut huius praecipue dei affirmetur vera corporis figura, neque ut a somniis tali *appellatione* distinguatur: nam somnia ipsa, admodum varia, minime similia sunt somniorum auctori, qui semper idem ac sui similis est. In v. 6 quidem ipse poeta **Ὄνειρον** poterat nominare (nec vero nominavit) **ὅλον**, id est, verum ac totum **Ὄνειρον**, ut significaretur, Agamemnoni non somnia esse missa, sed ipsum **Ὄνειρον**, huiusmodi autem *appellatio dei ipsius* inepta foret. Aptissime vero iste somniorum deus dicitur **ὀλοός** (**οὖλος**), atque sic etiam *appellatur* a Jove, **οὖλε Ὄνειρε**, quoniam est *fallax*, ideoque *damnosus, perniciosus*, neque dubitari poterit hanc illius vocis notionem tanquam dei propriam inesse omnibus locis, quibus **Ὄνειρος οὖλος** nominatur.

§. 3.

Θερσίτης-φολκός, χωλὸς δ' ἕτερον πόδα, Il. II. 217. Etiam de vi et origine vocis *φολκός* tam parum inter grammaticos constat, ut quorum de utraque re opinio ceteris probabilior videatur, merito dubitemus. Alii dicunt a simplici verbo *ἕλκειν* ortam esse hanc vocem et significare *oculorum perversitatem*, *φολκόν* igitur esse hominem (sit venia verbis!) *oculos trahentem, volventem*; alii originem statuunt eandem, sed hominem dicunt esse *valgum*, *pedes trahentem*, *cruribus valgis utentem*; alii denique priorem illam statuunt notionem, dicunt autem compositum esse hoc adiectivum ex voce *φάος* — *φῶς* — et verbo *ἕλκειν*. Vide, quae a Buttmanno in lexilogo §. 59 et quae in lexicis hac de re disputata sunt. Equidem in tanta opinionum diversitate tantum abest, ut certi quidquam de iis mihi videar statuere posse, ut quod ipsa loci nostri conditio, ipsa descriptio foedissimi, turpissimi, procacissimi hominis, *Thersitae* (a *θάρσος*, *θράσος*), postulare videatur, id modo afferre coner et explicare.

Ii, qui vocem *φολκός* de pedibus dictam opinantur, poetam dicunt in describendo Thersite iustum ordinem sequi procedentem a pedibus ad humeros et ab humeris ad capitis formam; sin autem ista voce perversi oculi significarentur et in descriptione ab oculis descenderetur ad pedes, a pedibus deinde ascenderetur ad humeros et hinc rediretur ad caput, sic totum etiam descriptionis ordinem esse perversum. Sed falsa videtur ista opinio esse: nam in hac descriptione *turpissimi* hominis (v. 216) non in eo sunt ordine corporis partes ponendae, in quo positae sunt a natura, sed prima ponenda est ea pars, in qua maxime conspicua est foeditas ac turpitudo, atque a maiori deinde turpitudine proceditur ad minorem; in valgis vero cruribus non maxima cernitur foeditas; deinde si *valgus* esset *φολκὸς Θερσίτης* et simul *χωλὸς ἕτερον πόδα*, duae turpitudinis partes collatae forent in pedes, quamquam neutra earum dici posset maxima foeditas vel maxime conspicua esse, oculi autem eius minime essent commemorati, quod certe mirum foret in procacissimo *Thersite*, cuius procacitas profecto existimari potest in vultu praecipue, ergo in oculis, fuisse conspicua. Si vero perversitas oculorum voce nostra significatur, apte ab oculis proceditur ad clauditatem ac deinde ad humerorum et calvi capitis deformitatem. Cum ista Thersitae descriptione liceat Ulixis deformationem conferre, descriptam in Odyss. l. XIII. v. 398—402, quae duae foeditatis descriptiones attende quaeso quomodo potissimum inter se differant: in Thersite, cuius foeditas iam perfecta est, prima ponitur oculorum perversitas, quippe in qua maxime conspicua sit foeditas maximeque cernatur proprium Thersitae ingenium; in Ulixe primum fere ponitur calvitium, oculorum foeditas autem extrema, qua corporis deformitas fiat perfecta. Itaque vix dubitari poterit, quin Thersites *φολκός* dicatur ob oculos perversos; utrum vero vocabulum illud originem traxerit a duabus vocibus, a *φάος* et *ἕλκειν*, an ab altera tantum, ita ut litera *φ* orta sit e spiritus asperitate, hanc rem admodum dubiam equidem decernere non frustra conabor.

§. 4.

κεῖτο δ' ἄρ' ἐν μέσσοισι δύω χρυσοῖο τάλαντα,
τῷ δόμεν, ὃς μετὰ τοῖσι δίκην ἰθύντατα εἴποι. Iliad. l. XVIII. v. 507 s.

Inter miraculas illas imagines, quae in scuto Achillis ab ingeniosissimo poeta nostro depictae sunt, est etiam disceptatio forensis, qua quaeritur de poena ob hominem interfectum solvenda: alter accusatus, qui hominem aliquem interfecerat, poenam contendebat a se iam esse solutam; alter, qui accusaverat illum, se accepisse quidquam negabat. Qui aderant ex populo, discedebant in alterutrius partes, verum a praeconibus cohibebantur; iudices — *gerontes* — in lapidibus circumsedebant et praeconum sceptra manibus tenentes deinceps alius post alium sententiam dicebant; in medio posita duo iacebant auri talenta, *τῷ δόμεν, ὃς μετὰ τοῖσι δίκην ἰθύντατα εἴποι*. Judicii hano imaginem, sicut alias quae sunt in scuto Achillis, optime explanavit

Carolus Gu. Lucas *), doctissimus vir in homericis rebus egregie versatus. Rectissime is docuit ista duo talenta non iudici esse donanda, qui iustissime suam sententiam tulisset, verum certantibus ea exposita esse, et qui causam suam accuratissime et verissime defendisset, huic esse tribuenda. Unde vero allata sint haec duo talenta, id miror quod Lucas videtur quaerere nolle. Recte quidem alia, quae interpretes quidam quaesituri fuerunt, e. g., quod pretium habuerint ista talenta, quis ea superiori certantium traditurus fuerit in manus, quippe aliena et prorsus inepta Lucas refutat; sed unde exstiterint auri duo talenta certantibus exposita, id quaerere non alienum videtur. Hac de re quidem alii alia coniecerunt inepta. Nonnulli censuerunt hanc pecuniam tamquam *παρακαταβολήν*, sive sacramentum, apud iudices depositam esse ab eo, qui alterum accusasset, neque ipsi redditum iri, si falso accusasset; de huiusmodi vero pecunia cogitare hoc loco non licet, quippe quae tradenda sit superiori certantium. Longe ineptius alii commenti sunt, hanc pecuniam allatam esse a populo ac destinatam iustissimo iudici; alii denique suspicantur ab ambobus eam collatam esse; sed et his respondisse sufficiet hanc pecuniam alteri destinatam esse illorum, qui superior evasisset; cur vero accusator inferior factus tantum pecuniae accusato solvere debeat, quantam accusatus poenam ob hominem interfectum, cur ille omnino quidquam inferior factus reo persolvat in ista causa, ubi agitur de poena tantum solvenda ob facinus ab altero commissum, id prorsus intelligi nequit.

Quum vero haec tota res inter duos certantes agatur quumque certetur de poena, utrum ea solvenda sit an iam soluta, necesse est ista duo talenta tamquam poenam iacere deposita ab accusato, ut huic reddantur, si ipse superior evaserit, sin vero alter, ut isti pro poena solvantur, itaque ut res, de qua agitur, victorem sequatur, sicut etiam inter homines fit ferro de aliqua re decernentes; cfr. Livius l. XXVIII. c. 21. Non dixerim quidem, inde coniici posse, in omnibus huiusmodi quaestionibus tantum pecuniae, quantum fuerit pretium eius rei, de qua certaretur, ab accusato deponi solitum fuisse, sed in imagine nostra fuit necesse ista duo auri talenta pingi a poeta tamquam poenae loco deposita, et si ea deposita existimantur atque pinguntur, etiam ab reo deposita esse debent existimari, qua interpretatione omnia, quae in hoc loco sunt consideranda, plana exsistunt.

Haec habetis vos potissimum, iuvenes dilectissimi, tanqum exempla, quibus commoneamini, quam in Homero nostro multa sint, quae quamvis ingeniosissimi huius poetae oratio simplicissima et planissimi sit, adhuc tamen sinceram iustamque interpretationem exspectent. Quare vos etiam atque etiam exhortor, ut locupletissima et suavissima ista carmina iterum iterumque in posterum legatis ac non modo vestrae ipsorum et eruditionis et delectationis gratia in percipienda Homeri oratione et in explorandis quibuscunque homericis rebus quam plurimum exerceamini, sed et aliorum utilitatis causa, quantum possitis, ad illustranda et explicanda recteque interprctanda immortalia Homeri carmina pro vestra parte aliquando conferre conemini.

*) Philologische Bemerkungen I. zu einigen Bildern auf dem hom. Schilde des Achilles, II. über das vorschlagende ε. Von Dr. C. W. Lucas. Emmerich 1843.

Dr. Al. Capellmann.